INSCRIPTIONES ATTICAE

NUPER REPERTAE DUODECIM

EDIDIT

ERNESTUS CURTIUS.

BEROLINI
IMPENSIS GVILELMI BESSER.
MDCCCXLIII.

AVGVSTO MEINEKIO

VI. IDVS. DECEMBRES.

Postquam Graeciam reliqui, non aliter extra Graeciam vivendum esse intellexi, quam ut in patriam redux Athenis habitare pergerem. Itaque non solum ad topographiam Graecam artesque Graecas studia mea praecipue converti, ut et docendo et scribendo in Graeciam quotidie redire, etiamsi nollem, deberem; sed monumenta quoque antiquitatis quotquot post discessum meum fodiendo eruta sunt, diligenter omnia colligere atque quasi praesens cognoscere studui. Sic factum est, ut quum in multa Atheniensia incidissem, quae non bene a philologis ignorari mihi viderentur, non ingratum viris doctis me facturum esse arbitrarer, si monumenta quaedam lapidea e latibulis ephemeridis Atticae deprompta in hanc communem litterarum lucem ederem. Qua in re non id egi, ut nihil ederem nisi quod ab omni parte intellexisse mihi viderer, immo eiusmodi titulos prae ceteris edendos curavi, qui quum novam disputandi materiam philologis offerrent, eo et difficiliores essent ad intelligendum et digniores, quos viri docti legerent atque in suos quisque usus converterent. Illud enim praeclarum habet haec ars epigraphica, quod utriusque

antiquitatis studiis nostris, in quibus saepe non possumus quin quae sexcenties tractata sunt, denuo fere inviti retractemus, illa ex inexhausto archivo lapideo veterum manu scripto novos fontes aperire, nova subsidia addere, novam denique atque inopinatam lucem adferre non desinit. — Ubi et quando tituli reperti sint, in singulis notavi editoris Attici fidem sequutus, licet non ubique certam atque accuratam (vid. lemma ad titulum VIII et Schöll. Arch. Mitth. p. 19); quo magis gaudendum est in ipsis apographis Atticis faciendis fidem atque industriam cerni accuratam atque laudabilem; unde factum est, ut ubicunque neque aliorum neque meis schedis adiuvabar, haud cunctanter solam illam auctoritatem Atticam sequerer, tabulasque lithographicas quam accuratissime in ligno repetendas curarem. In repraesentandis autem titulis id spectavi, ut quae esset uniuscuiusque lapidis ratio atque natura, legentibus quasi ipsi lapides inspicerent ante oculos poneretur.

Quod autem Tibi, MEINEKI, natalis memoriam celebranti has schedulas obtuli, id non feci ut nominis Tui splendore earum tenuitatem exornarem neque ullam aliam propter caussam nisi ut meum ergo Te amorem aliquo modo testificarer Tibique dicerem, quantum et suavissima Tua vicinitate gauderem et humanitate Tua erigerer, qua et me et studia mea amplecteris. Deum autem veneror, ut iuvenilem quo polles animi vigorem quam diutissime Tibi servet incolumem. Vale!

Tit. I.

('Εφημερὶς ἀρχαιολογικὴ 'Αρ. 369.)

Marmor Pentelicum cum aëtomate, olim in horto qui c. VIII stadia Athenis distat prope viam Acharnanam. Hortum qui possidet Constantinus Βλαχούτζη in puteo ait lapidem repertum esse. Eundem vidi anno 1840 quum monumenta antiquitatis, quae Pittacis domi suae adservat, perlustrarem; sed non licuit nisi videre; unde notitia quaedam lapidis eaque parum accurata ex litteris meis ad Guilelmum Abeken datis in diurna archaeologica Romana (Bullettino dell' Instituto di Corr. Arch. 1840 pag. 68) transiit.

[Textum vide in pag. seq.]


Adnotatio critica. Titulus quamquam non στοιχηδὸν scriptus est eo tamen ordine habet litteras dispositas, ut quadraginta fere singuli versus habeant elementa. In tabula lithographica quam Athenienses addiderunt, post Βατῆθεν et post ἐπειδὴ lin. 1, post ἄρχων lin. 2. bina puncta video expressa, quae interpunctio si in lapide est quomodo explicanda sit, non patet.

Versus superiores quatuor tantum non integri sunt; inferiorum fere omnium plus dimidio a sinistra deest, qui certa ratione non poterunt omnes restitui; similes enim unde auxilium petamus tituli desunt.

vs. 5. Pitt. καὶ τῆς ἀρτονομίας postquam superiore versu ineunte θυσίας scripsit; sed illa spatium non capit.

vs. 7. ἀνὰ ἕκαστον θύτην Pitt. quae non placent, quum neque Graece illa dicta sint neque tantam summam singulis ad emendum vinum datam esse ullo modo probabile sit. Mallem ἀνὰ ἡμέραν ἑκάστην unam litteram in lapide mutans.

2



vs. 8. τὴν διανομὴν τοῦ θύτου Pitt. vs. seq. τὸ περισσεῦσαν idem.

vs. 10 et 11. vario modo tentari possunt e. c. ἀνέστησε δὲ καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ Μεσογείων ἐν τῷ ἀρχείῳ vel in templo aliquo e. c. ἐν τῷ Ἡρακλείῳ. In lapide ψηφίσματα.

vs. 14. εὐνοίας non certum est. Finis tituli hic fere fuisse potest: — δικαιοσύνης τῆς εἰς τοὺς Μεσογείους (vel εἰς τὸ κοινὸν τὸ Μ.), ἀναγράψαι δὲ τὸν γραμματέα τῶν Μεσογείων (τοῦ κοινοῦ τ. Μ.) τόδε τὸ ψήφισμα ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν τῷ ἀρχείῳ.

COMMENTARIUS.

Decretum est honorarium; decernunt Mesogaei suadente Amynomacho qui est Βατῆθεν; honoratur Polyeuctus Lysistrati f. propterea quod *Olbio* Athenis archonte archon ipse a Mesogaeis constitutus sacris in Herculis honorem communiter factis cum laude praefuit. Olbii magistratum, quum eius nomen in fastis Atticis desit, post Olympiadem CXXII, 1. cadere probabile est. Iam primum e titulo nostro discendum est, fuisse pagos

Ἀμυνόμαχος Φιλοκράτου Βατῆθεν εἶπεν· ἐπειδὴ Πολύευκτος ἄρχων κατασταθεὶς ὑπὸ Μεσογείων τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπὶ Ὀλβίου ἄρχοντος ἐπεμελήθη τῆς τελετῆ]ς καὶ τῆς πομπῆς τῷ Ἡρακλεῖ, ἐπεμελήθη δὲ καὶ τῆς θυσ]ί[α]ς καὶ τῆς κρεονομίας καὶ τῆς ἐπικοσμήσεως τῆς τ]ραπέζης, ἐμέρ[ι]σεν δὲ καὶ εἰς τὸν οἶνον . . . . υτην δραχμὰς ὀκτώ, ἐπο[ί]ησεν δὲ καὶ . . . . του καὶ ἐμέρισεν τὸ ἀγοραστικὸν . . . . ἐπεμε]λήθη δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων . . . . δὲ κ]αὶ τὰ ψ[η]φίσματα τὰ Μεσογείων . . . . ἀγαθ]ῇ τύχῃ δεδόχθαι Μεσογείοις ἐπαινέσαι Πολύευκτον] τὸν Λυσιστράτου Βατῆθεν . . . . στεφάνῳ χρυ]σῷ στεφανῶσαι κατὰ τὸν νόμον τῆς εὐνοίας ἕνεκα καὶ τῆς] δικαιοσύνης τῆς εἰς τὸ κοινὸν τὸ Μεσογείων, ἀναγράψαι δὲ τὸ]ν γ[ραμματέα —

quosdam Atticos vicinitate locorum sacrorumque societate coniunctos, qui communi Mesogaeorum nomine comprehenderentur.

Μεσόγαια nomen est in topographia antiqua frequentissimum; μεσόγειος γῆ — ἡ ἀλίμενος γῆ, ἄνευ λιμένος (vid. Hesych. s. v.); quo sensu quaecunque a littore remotior est regio Mesogaea vocatur, Romanorum mediterranea et si Festo fidem habemus meditullium; aliter Cicero Topic. VIII. Exempla sunt quum apud alios tum apud Herodotum plurima, quorum unum quum ad Atticam pertineat et a quibusdam male intellectum sit hic affero (lib. VI, 113): κατὰ τοῦτο μὲν δὴ ἐνίκων οἱ βάρβαροι καὶ ῥήξαντες ἐδίωκον εἰς τὴν μεσόγαιαν, qui est superior campus Marathonius. Deinde ut fieri solet ex appellativo proprium factum est neque quidquam notius est quam totius Atticae quandam partem olim appellatam esse Mesogaeam. Verum haec Mesogaea Attica quae cum Cranaide, Atthide, Diacride a Cranao rege instituta esse dicitur quaenam fuerit, non aeque patet totusque ille locus de prisca Atticae divisione, quem tetigerunt multi, absolvit nemo, tenebris adhuc involutus iacet. Ac Schömannus quidem, qui de hac re omnium doctissime inquisivit in libro de comitiis Atheniensium p. 342 sq., »Mesogaeam, inquit,

eandem esse atque Pediaeam non opus est monere«; Pediaeam autem intelligit illam, »quae ad Boeotiae confinia montesque Parnethem, Brilessum, (Pentelicum) et Hymettum porrigitur«. Leakius contra (de pagis Att. ed. Westerm. p. 7) illam dicit Mesogaeam, quae a planitie Athenarum Hymetto monte separata, sept. versus ad Brilessum sive montem Pentelensem, orientem meridiemque versus ad Paraliae colles pertineat. Huius sententiam confirmare videtur qui nunc est nominis paullulum immutati (Μεσόγια) apud Atticos usus; alteri vero opponere licet, omnino non verisimile esse, ubi totius Atticae quatuor referantur partes, illic partem quandam campi Atheniensis a mari remotiorem (Actaeam enim a Mesogaea excludendam esse nemo non concedet) suum nomen habere neque eidem favet locus Strabonis pag. 399, qui enumeratis Paraliae oppidis a Piraeo usque ad Oropum ita pergit: τοὺς δ'ἐν τῇ μεσογαίᾳ δήμους τῆς Ἀττικῆς μακρὸν εἰπεῖν διὰ τὸ πλῆθος, toti illi tractui maritimo mesogaeam opponens. Sed utramlibet rationem probaveris, semper in difficultatibus haerebis; Leakius enim et qui eum sequuntur (e. c. Christophorus Wordsworth Athens and Attica ed. alt. p. 229) Pediaeam Mesogaeae opponunt; id quod nullus veterum locus est qui probet; multi quamquam tacite qui improbent; sin eandem dicis Mesogaeam ac Pediaeam qualem vulgo describunt, fertilissimam illam Atticae regionem quam nunc Μεσόγιαν vocant cum vicis hodiernis Κερατία (cf. Bullet. dell' Inst. di Corr. Arch. 1841 p. 88) et Μαρκόπουλος (ibid. p. 90), antiquis Παιανία (cf. Ross. sur le démos de Péanie Ann. dell' Inst. 1837 p. 5) aliisque multis non habebis quo referas.

Iam ut ego dicam quod sentio, quamquam accuratam huius Mesogaeae descriptionem nemo dare poterit — quanam linea enim regionem mediterraneam portubusque carentem a littore portuoso separabis? — hoc mihi certum videtur, totius Atticae triplicem semper fuisse divisionem ex ipsa soli natura oriundam atque cum hominum vita moribusque coniunctissimam, Paraliam, Diacriam, Mesogaeam; quam Mesogaeam Hymetto monte neque ab Athenarum campo, ut Leakius cum recentioribus Graecis fecit, neque a Paralia et Diacria, ut Schömannus, seiunxerim,

sed ad utramque montis partem sitam fuisse totumque interiorem tractum et quasi medullam Atticae, quousque neque mari adluitur neque maioribus montium iugis i. e. Parnethe et Brilesso obsita est, usque ad Aegalei colles comprehendisse arbitror. His tribus Atticae partibus quarta si additur, est Megaris, quam quicunque naturalem locorum divisionem sequitur, ab Attica seiungere non potest, eandemque olim Atticae accensam fuisse veteres scriptores saepius tradiderunt. Pertinuisse autem Nisi regnum dicebatur usque ad Pythium, quod Pythium praeeunte Ludolfo Stephani (Reise durch das nördl. Griechenland p. 81) non puto aliud fuisse quam celeberrimum Apollinis templum in monte Poecilo, ubi sacra via colles inter campum Atheniensem atque Thriasium interiectos superat *). Quod si recte exposui, praeter ipsam Megaridem etiam adiacentem planitiem cuius caput est Eleusis, ad quartam illam antiquissimae Atticae partem Philochoro teste pertinuisse intelligitur.

Sed huius loci non est fabulas illas de divisione Atticae ab aliis aliter narratas pertractare, quas turbatas magis quam explicitas nobis tradiderunt rerum Atticarum scriptores; satis habui indicasse qualem ego Mesogaeam intelligam si inter tres quatuorve Atticae partes enumeratur. Iam quaeritur eademne fuerit illa Mesogaea et haec cuius titulus noster mentionem facit. Quod enim aliquis dixerit nomina illa tum diu obsolevisse neque aliam illorum memoriam fuisse nisi apud poëtas atque antiquarios, is nescire videtur aetate Macedonica Paraliam regionem cum suis

---

*) Sic intelligas velim quae apud Strabonem sunt p. 392: Φιλόχορος μὲν οὖν ἀπὸ τοῦ ἰσθμοῦ μέχρι τοῦ Πυθίου διήκειν αὐτοῦ φησι τὴν ἀρχὴν, Ἄνδρων δὲ μέχρι Ἐλευσῖνος καὶ τοῦ Θριασίου πεδίου. Alter igitur extra, alter intra regni Nisaei fines totum campum Eleusinium cum Thria fuisse putabat. ***Illud vero quod vulgo prope Oenoen Hippothoontidis in confiniis Megaridis, Atticae, Boeotiae fuisse scribunt Pythium ut videtur nullum fuit.*** Neque enim omnino verisimile est Philochorum in *Tetrapoli* ap. schol. Soph. Oed. Col. 1102 (1047) non de Oenoe Aeantidis pago loqui; scholiastes autem Sophocleus non pagos sed templa confundit, ad Pythium illud Oenaeum referens, quae poëta de templo Apollinis Pythii in Poecilo monte sito (Paus. 1, 37, 7) intellexit, ut bene monuit Stephan. l. l. Haec disputavi contra Reisig. Enarr. Oed. Colon. p. 134; Od. Müller. Dor. 1 p. 239. cf. 2, p. 537, quorum auctoritatem omnes sequuti sunt.

praetoribus in titulis memorari (C. I. Gr. 178, 179). At hic alia res est. Hic ubi Mesogaeorum quidam conventus propter sacra communiter obeunda significantur, equidem non video, quomodo de eadem illa Mesogaea cogitari possit, quae dimidiam fere Atticam complectatur. Itaque nihil mihi probabilius est quam fuisse in Attica quandam τριχωμίαν vel τετραχωμίαν, quae arctiore quadam sacrorum societate coniuncta nomen illud, quod longe latius patere poterat, quasi proprium sibi vindicaret. Similiter duae ut constat, fuerunt in Attica tetrapoles, altera Marathonia illa, Phalerica altera, utriusque sicut huius Mesogaeae centrum templum Herculis. Τριχώμους novimus Eupyridas, Cecropidas (mel. Cropidas), Peleces, ubi Vulcani sacra ut communiter culta fuisse suspicer, facit nomen Εὐπυρίδαι cum interpretatione Etym. M. Εὐπ. δῆμος Ἀθηναίων ὅτι ἐν Ἀθήναις πρῶτον τὸ πῦρ εὑρῆσθαί φασι κατὰ τὸν δῆμον τοῦτον τῆς ἐκλάμψεως αὐτοῦ γενομένης. Fuerunt denique etiam Epacriorum communia sacra qui tanto magis ad comparationem adhiberi possunt, quum ἐπακρία proprie a διακρία et ὑπεραχρία non differre videatur ac post dissolutam duodecim oppidorum rationem, quorum unum eodem nomine ferebatur, trium quatuorve *) vicorum nomen remanserit, qui communia sacra etiam post bellum Peloponnesiacum colere pergebant; cuius rei memoriam servavit titulus C. I. 82 ubi conferas commentarium Böckhii.

Pagorum unde haec nostra Mesogaea composita erat, unus fuit Βατή; hinc enim et qui legem rogavit et in quem honores conferuntur nati dicuntur. Lapis ipse quum haud dubie in archivo Mesogaeorum repositus sit, situm eorum cum probabilitate indiciat et quod statui ipsam Athenarum planitiem a mari remotiorem Mesogaeae partem fuisse mirifice confirmat. Quamquam enim inter maiorem quandam et minorem Mesogaeam docui distinguendum esse, tamen alteram ab altera prorsus seiungere nolui; immo alteram alterius partem et quasi centrum fuisse arbitror sicut Epacriam illam Epacriae regionis. Editor Athe-

*) ad Semachidas et Plotheiam tertiam Pallenen accedere voluit C. O. Müller. Hyperb. Röm. Stud. ed. Ed. Gerhard p. 282.

niensis Βατῆς pagi nomen hodieque loco illi, ubi titulum repperissent, inhaerere pagique rudera non pauca illic superesse addit. Bate fuit Aegëidis tribus cuius pagi multi suburbani sunt.

Accedimus ad singula. Ἀμυνόμαχος Φιλοκράτου legis rogator iam aliunde notus est; certe eadem nomina eodem praemisso pago habes in C. I. Gr. 183 col. II vs. 9, cuius pagi nomen Ilgenius fil. illic iam agnoverat. v. Add. p. 907; nec non eundem Amynomachum cum Timocrate Potamio Epicurus philosophus rerum suarum heredem in testamento videtur scripsisse. Diog. Laërt. X, 16. Cic. Fin. II. 31. Unde aetatem tituli paullo accuratius definire licebit. Polyeucti nomen fuit apud Phegaeenses frequens cf. C. I. Gr. pag. 315. Tituli nostri nomina partim eadem redeunt in fragm. ap. Ross. *Kritios, Nesiotes, Kresilas* etc. *Epist. ad Thiersch. Athen.* 1839. n. 5. in tabella annexa.

vs. 2. ἄρχων κατασταθείς — hic noli de alio magistratu cogitare nisi qui ad sacra rite administranda pertineat. ἄρχειν similiter in titulo meo Naxio, nunc C. I. 2416.[b]

vs. 6. ἡ ἐπικόσμησις τῆς τραπέζης quae inter sacra munera refertur, nova est; neque vero dubito epula sacrificalia significari eorumque adornandorum curam Polyeucto feriarum archonti impositam esse. Deinde ἐμέρισεν δὲ καὶ εἰς τὸν οἶνον —— δραχμὰς ὀκτώ, ubi quid supplendum sit non patet. μερίζω est simpliciter dare, impendere. In rem conferas οἰνομετρεῖν illud quod Naxiorum, Andriorum, aliorum in festis Bacchicis aliisque sollemne erat. Cf. Philoch. ap. Athen. XI. p. 464. παρὰ τὸν ἀγῶνα πάντα (sc. τῶν Διονυσιακῶν) οἶνος αὐτοῖς ᾠνοχοεῖτο καὶ τραγήματα παρεφέρετο.


vs. 8. τὸ ἀγοραστικὸν intellige pecuniam e vectigali, quod pendebant qui mercatus causa ad Heraclea convenerant, in sacrum fiscum redeuntem, quae in paganos aut tota aut ex parte distribuebatur. Quare conieci: τὸ ἀγοραστικὸν τὸ περιττὸν i. e. pecuniam detractis sumptibus necessariis relicuam; quod supplementum cum spatio optime convenit, sed propter grammaticam mallem τοῦ ἀγοραστικοῦ. Alibi solebat ἀτέλεια i. e. immunitas mercatus cum festis coniungi sicut Naxi in Serapeis.

Tit. II.

('Εφ. 'Αρχ. 379.)

Adiungimus titulum et ipsum ad cognoscenda demorum Atticorum instituta utilissimum. Repertus est in vico suburbano Γυψέλι (i. e. Κυψέλη propter rem apiariam cui illic student) ad radices collium illorum sito, quorum extremus, summus, Atheniensibus proximus est Lycabettus; quos colles communi Anchesmi nomine quidam appellari voluerunt v. Forchhammeri epist. Atheniensem ad Müller. datam p. 12. Stephani Reise p. 99.

Titulus marmoreus post Euclidem scriptus. Vetustioris scripturae est littera Π qualem infra vides atque E in dativis atque in coniunctivis retentum; idem in fut. verbi ἀνατίθημι vs. 11; in substantivo usum video fluctuare collatis vs. 11 et 16. Quae fragmenti nostri supplementa Pittacis excogitavit omnia huc per-



scribere taedet; probavi autem quod vs. 5 et vs. 15 in fine ὧν, vs. 17 ἵδρυσιν τῶν scribi iussit.

Propter lapidis fracturam tantum medius titulus nobis servatus est. Honoratur nescio quis qui rerum sacrarum ut videtur curator factus de pago suo bene meruit; de pago suo dico, neque enim hoc decretum sicut illud quod priore loco posuimus ad complures pagos communibus sacris iunctos pertinere arbitror, quae est sententia editoris Attici versum 4 καὶ τῶν κοινῶν τοῖς δήμοις supplentis. Videtur autem ille in quem honores conferuntur, maxime de exstruendis vel potius instaurandis templis atque sacellis meruisse, quae commune aliquod damnum accepisse putaverim.

Tituli quae supersunt omnia ab ἐπειδὴ pendere puta, quod cum superioribus lineis periit; huc refer verba huius fragmenti primaria: ἐπιμεμέληται unde quatuor superiorum versuum genitivi pendent, ἐπιμελεῖται quocum cohaerent καὶ διατελεῖ etc., ἐπαγγέλλεται ἐξοικοδομήσειν; quibus

— τῶν ἱ]ερῶν κα[ὶ] — — τῆς οἰκοδομ[ίας . . . .
. . . . . . ιρουμένων τῶν δημο[σίων? . . . . καὶ τῶν
κοινῶν τοῖς δη[μόταις ἐπιμ]εμέληται καὶ ἐπιμελεῖται ὑπὲρ
[ὧν] ἂν αὐτὸν οἱ δημόται αἱρῶνται ἀεὶ [κ]αὶ διατελεῖ λέγων
καὶ πράττων τὰ βέλτιστα ὑπέρ τε τῶν ἱερῶν καὶ τῶν ὁσίων
ἀδωροδοκήτως, καὶ τὰ λοιπὰ ἱερὰ ἐπαγγέλλεται ἐξοικοδομήσειν
καὶ ἀναθήματα ἀναθήσειν ἐν τοῖς ἱεροῖς, προαναλίσκων τοῖς
δημόταις παρ' ἑαυτοῦ ἐπὶ τῇ ἐπαρχῇ, ἣν ἐπάρχονται οἱ δη-
μόται ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἕκαστος ἧς ἂν λάχῃ, εἰς τὴν οἰκοδομίαν
τῶν ἱερῶν καὶ τῶν ἀναθημάτων [ὧ]ν ἂν ἀνατιθῶσιν καὶ τὴν
ἵδρ[υσιν τῶ]ν ἱερῶν ὑπὲρ ὑγιείας αὐτ . . . .
. . . . . σωτηρ[ίας — —

verbis omnia quae commodo pagi sui ille vir fecit, facit, facturus est describuntur. Haec vero quae se facturum esse pollicetur iam in aliorum qui ipsi successerint magistratus cadent; faciet enim illa ἐπὶ τῇ ἐπαρχῇ, ἣν ἐπάρχονται οἱ δημόται ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἕκαστος ἧς ἂν λάχῃ etc. Etenim si quis magistratum deposuerat, in deorum honorem pro rebus feliciter gestis aliquid aut exstruere aut donare solebat. Id ut iam ante tempus facere possent qui post se magistratu functuri essent, pecuniam ille, qua opus erat, ipse eis de suo suppeditabat et quasi mutuo dabat προαναλίσκων τοῖς δημόταις παρ' ἑαυτοῦ —— εἰς τὴν οἰκοδομίαν τῶν ἱερῶν καὶ τῶν ἀναθημάτων ὧν ἂν ἀνατιθῶσιν. Locus multa habet prorsus nove dicta. Ἐπαρχὴ quod nomen lexica aut omittunt aut dubitanter afferunt, est quasi magistratus secundus; sic in ipso titulo explicatur: ἣν ἐπάρχονται ἀπὸ τῆς ἀρχῆς (ut ἀπὸ δείπνου apud Homerum); similiter ἐπίδειπνον, ἐπιγαμία mensae, nuptiae secundae. Erat igitur hoc institutum, ut si quis magistratu abiisset, per sequentem annum vel per complures annos aliquo modo rei communi praeesse pergeret.

Versus duos postremos fortasse ita constituere licebit: ὑπὲρ ὑγιείας αὐτῶν καὶ τῆς τοῦ δήμου σωτηρίας.

TIT. III.

('Εφ. 'Αρχ. 560.)

In muro meridionali permagni illius aedificii quadrati, quod vulgo gymnasium Hadriani vocant, in media urbe siti.



Τὸν θεσμῶν ταμίην Ἑρκούλιον ἁγνὸν ὕπαρχον
Πλούταρχος μύθων ταμίης ἔστησε σοφιστής.

Titulus tertio vel quarto post Christum saeculo non est antiquior, quem hoc loco omnino non posuissem, nisi cum inscriptione Corporis Inscr. Megarica (n. 1081) cohaerere mihi videretur. Hic enim epigramma habemus eiusdem aetatis, eiusdem nisi fallor Herculii statuae subscriptum:

Ἑρκόλιον τὸν ἔπαρχον ἀνέστησαν Μεγαρῆες
παντοίων ἐθνῶν καὶ πόλεων φύλακα,
τείχεα δείματο καὶ πόρον ἔμπεδον ὤπασε Νυμφῶν,
ἄστεα καὶ βουλάς, πάντ᾽ ἐφορῶν σοφίῃ

ex emendatione Böckhii et Osanni. Fortasse etiam hic in lapide τὸν ὕπαρχον; sed etiamsi illud rectum est in schedis Fourmontianis, nihil obstat quominus eidem Herculio sive Hercolio Megaris cives, Athenis amicum statuas posuisse censeamus. Quod apud nos θεσμῶν ταμίας vocatur, sicut Megaricum illud ἐθνῶν καὶ πόλεων φύλαξ magis ornamenti causa additum est, quam ut de certo quodam magistratu videatur cogitandum esse. Cui θεσμῶν ταμίᾳ lepide se opponit alter ut μύθων ταμίαν (in quam locutionem conferas Δημόκριτον περίφρονα ποιμένα μύθων quae sunt Timonis Phliasii ap. Diog. Laert. IX, 40 a Meinekio nuper praeclare emendata Exercitatt. in Athen. p. 6); sophistes enim est et eloquentiae professor. Fuit autem et ipse sua aetate celeberrimus, dummodo ad eundem Plutarchum duo epigrammata Megarica (C. Inscr. 1080 A et B) referenda esse putaveris. Sed hoc incertius. Nota denique Ionismum omnibus quatuor titulis commmem.

Tit. IV.

('Εφ. 'Αρχ. 401.)

Marmor Pentelicum a. 1840 a Parthenone meridiem versus repertum.



Titulus accurate ad seriem scriptus est; tantum inde a versu 13 per aliquot lineas propter mendam lapidis litterarum ordo turbatus est. Vetustioris scripturae indicia sunt ΤΥΓΧΑΝΕΙ pro τυγχάνῃ vs. 17. ἂμ μηδέν vs. 6. τὸγ γραμματέα vs. 19. Errata quadratarii κυναὶ vs. 5. τῆμ ἀναγραφήν vs. 22.

— εια ἡ δοθεῖσα . . . . ε τῷ [π]άππῳ καὶ . . . . ωρειαι ὑπάρχ . . . . α]ὐτῷ καὶ τοῖς ἐκγ[όνοις ἀε]ί εἰσι κοιναί, ἐπιμελεῖσθαι δὲ Ἀρύββου, ὅπως ἂμ μηδὲν ἀδικῆται, τὴν βουλὴν τὴν [ἀ]ε[ὶ] βουλεύουσαν καὶ τοὺς [σ]τρατηγοὺς τοὺς ἀεὶ στρατηγοῦντας καὶ ἐάν τις ἄλλως που Ἀθηναίων παρατυγχάνῃ· εἶναι δὲ αὐτῷ πρόςοδον καὶ πρὸς βουλὴν καὶ πρὸς δῆμον ὅταν δέηται καὶ τοὺς πρυτάνεις οἳ ἂν πρυτανεύωσιν ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ἂν προςόδου τυγχάνῃ· ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τὸγ γραμματέα τῆς βουλῆς ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ καταθεῖναι ἐν ἀκροπόλει· εἰς δὲ τὴ[ν] ἀναγραφὴν τῆς στήλης δότω ὁ ταμίας τοῦ δήμου ΔΔΔ δραχμὰς ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα μεριζομένων τῷ δήμῳ· καλέσαι δὲ Ἀρύββαν ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐς αὔριον· καλέσαι δὲ καὶ τοὺς μετ' Ἀρ[ύ]ββου ἥκοντας ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτανεῖον ἐς αὔριον· [χ]ρη[ματί]σαι δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὧν Ἀρύββας λέγει· τὰ μὲν ἄλλα, καθάπερ τῇ βουλῇ [ἔδοξ]ε [ε]ἰς Ἀρύββα[ν — — —

Arybbas est quem vulgo Arymbam dicunt rex Epiri. Eandem quam titulus noster tuetur nominis formam in Pausaniam suum post Bekkerum receperunt Schub. et Walz. Ἀρύβας ap. Plut. Pyrrh. 1 Ἀρύμβας Dem. Ol. I, 13 ed. Bekk. Hinc eundem affert Harpocr. s. v. Regum Epiroticorum series e Plutarcho et Pausania nota est. Vide Droysen. Succ. Alex. tab. IV. Arybbas Tharypae nepos, Alcetae filius, obiit Ol. CIX, 3. Decretum igitur nostrum quo societas atque amicitia Atheniensium ab avo (et patre?) in Arybbam transfertur aut paullo ante aut in ipsa Philippi Macedonis tempora cadet. Titulus docet Arybbam ipsum cum quodam comitatu Athenas venisse atque cum senatu egisse; senatum ad populum retulisse, cuius psephisma huic lapidi incisum habemus.

Vs. 1—5 dubito num certa ratione restitui possint. Initio conieceris: ἡ βοήθεια ἡ δοθεῖσα παρ' ἡμῶν ποτε τῷ πάππῳ. in vs. 3. 4. nomen τιμωρεῖαι inesse videtur, quamquam forma inaudita est: αἵ αὐταὶ τιμωρεῖαι ὑπάρχουσιν αὐτῷ καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἀεί εἰσι κοιναί. Sed haec omnia dubitatione plena. Quae sequuntur fere omnia facile intelliguntur. Praeter publicum Athenarum patrocinium senatus populique libere adeundi privilegium in Arybbam confertur. Deinde de incidendo decreto dicitur, cuius rei sumptus ut fit quaestori populi demandantur; eadem iisdem verbis saepissime redeunt. Vid. C. I. 92, 108. Oec. Athen. I. p. 183. Franz. Elem. Ep. p. 317. Mirum est etiam summam eandem toties redire in lapidibus quoque longe minoribus, quum ingenti illi lapidi, qui est de murorum Atticorum refectione, inscribendo quinquaginta drachmae suffecerint. Müller. de munim. Athen. p. 35. l. 33. Denique Arybbas ipse cum cohorte sua ad epulum in prytaneum invitatur. Locutio tritissima; rarius est quod in titulo Attico ('Εφ. 'Αρχ. 407) ubi de honorandis legatis agitur, videtur scriptum esse: πεμφ[θῆναι αὐτοὺς] ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτ[ανεῖον, δοῦναι δὲ αὐ]τοῖς καὶ ἐφόδια τὸν ταμ[ίαν ἐκ τῶν εἰς] τὰ κατὰ ψηφίσματα ἀνα[λισκομένων τῷ δήμῳ]. De ἐφοδίῳ legatorum dixit Böckhius Oec. Civ. Ath. I, 255. In fine fragmenti sententiae singulorum »τῶν ἐν τῷ δήμῳ ξυγγραφομένων« addi coeperunt, ubi notandum est, omissis quae vulgo interponantur: ὁ δεῖνα εἶπεν, statim ad formulam illam transiri: τὰ μὲν ἄλλα καθάπερ τῇ βουλῇ. Vide de hac formula Franz. Elem. Epigr. Graecae p. 321.

Tit. V.

('Εφ. 'Αρχ. 415.)

Fragmentum marmoris Pentelici, altum III pedes Angl., repertum 1840 mense Septembr. circa septentr. partem Parthenonis. Edidit nuper Adolphus Schöll. (Archaeol. Mittheilungen aus Griechenland etc. Fasc. I. pag. 87); propter titulum qui antecessit idem fragmentum hoc loco repetere non dubitavi.



Vs. 2 sq. fortasse ita legendi: — — [τ]ῶν π[αίδω]ν τινὰ τῶν 'Αρύββου, ἐπὶ [δὲ τ]ὰς αὐτὰς τιμω[ρ]ίας αἵ[περ κ]αὶ ὑ[π]ὲ[ρ τ]ῶν ἄλλων εἰσ[ὶν] 'Αθηναί[ων]· deinde a versu sexto medio ita mecum leges: ἐπιμελεῖσθ[αι δ]ὲ καὶ [τ]οὺ[ς] στρατηγοὺ[ς οἳ ἂ]ν στρατηγ[ῶ]σι, ὅπως ἂ[ν αὐτὸ]ς καὶ οἱ π[α]ῖδες αὐτοῦ κτή]σωνται τὴν ἀρχὴν τὴ[ν πατρῴ]αν.

Pittacis hoc fragmentum cum antecedente eiusdem lapidis fuisse sero se intellexisse ait. Latitudo quidem scripturae eadem est (vicenas singulas binasve litteras habent versus); sed si apographis Atticis fides habenda est, ipse enim titulum non vidi, in hoc lapide scripturae genus aliquanto negligentius est. Quare quum etiam argumenti ratio ea sit, ut alter ab altero titulus seiungendus esse videatur, hoc decretum post illud scriptum esse putaverim, atque interea eundem Arybbam cum filiis (quorum in altero fragmento mentio nulla) Athenas revenisse reipublicae tutelae se suaque commendaturum. Videntur autem regum Molossorum res tum minus secundae fuisse; namque si finem fragmenti recte supplevi, Arybbam tum cum sua gente e regno pulsum fuisse efficitur: possis quidem pro κτήσωνται scribere σώσωνται, quamquam una littera brevius; sed sic quoque reges in magnis periculis illo tempore fuisse videntur. Fortasse iam vivo Arybba Epirotarum contra reges suos seditiones moveri coeperant, quibus postea (Ol. CXVI, 1) factum est, ut Aeacidas Arybbae filius post expulsum fratrem regno et ipse privaretur.

Vs. 4 legimus quod in titulo superiore restitui nomen τιμωρίαι eodem ut illic numero, sed solito more scriptum; τιμωρίας Ἀθηναίων ὑπέρ τινων intelligo foedus quoddam, quo Athenienses alicui fidem suam atque tutelam despondeant. Cetera supplementa partim eadem invenit Schöllius meus.

In coronis quae sub titulo marmoris insculptae sunt ipsius Arybbae victorias currules adnotatas esse arbitror. Primum Ὀλύμπια τελέῳ i. e. ἅρματι τελείῳ cum corona oleagina; maioribus foliis excellit quae ad dextram apposita est corona Apollinea (Π[ύθ]ια τελέῳ); tertia probabiliter Nemea querna, apii enim Isthmiaci folia duo, quae supersunt, non esse videntur. Anaglyphum cuius infra fragmentum cernitur, valde detritum est; agnoscis autem quadrigam cum curru, cui Victoria alata insistit. Quae lapidis ornamenta omnia si ad eundem Arybbam recte retulimus, in eodem lapide et victoriarum, quas rex reportaverit et foederis quod cum Atheniensibus fecerit, monumenta videmus coniuncta.

Tit. VI.

('Εφ. 'Αρχ. 372.)

Fragmentum marmoris Pentelici in arce repertum a. 1840. Infra versum 12. lapis vacuus est.



Versus 1—5 restitui non possunt neque cum sequentibus num cohaereant certum est.

vs. 6. — δοχῆς καὶ ἐπίσημα σ
- 7. τ]ὸ ἄγαλμα τοῦ θεοῦ ὑπὸ τω
- 8. ῳ εἰ[κ]ονικῶν πινάκων
- 9. δι αὐτοὺς εἰς τὴν στοὰν καὶ
- 10. ἀνάξια τοῦ ἱεροῦ καὶ εἰς τ
- 11. κατ]ατιθέναι μηθὲν ἐν τῷ [ναῷ?
- 12. κα]θάπερ ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρχεν.

Hic titulus, quantum ex fragmento miserrime lacero colligitur, ad templum dei nescio cuius in arce Athenarum pertinuit,

in quo templo priscum iustumque rerum ordinem aliqui videntur perturbasse atque in ipsa cella posuisse quae hoc loco parum digna esse videbantur. Itaque curatores fortasse templi hoc decreto omnia in integrum restituere iubentur; a versu decimo enim sic fere legendum puto: καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον κατατιθέναι vel ἀνατιθέναι μηθὲν ἐν τῷ ναῷ (vel ἱερῷ), ἀλλ' εἶναι πάντα καθάπερ (ἐνθάπερ) ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρχεν. Illa vero quae ἀνάξια τοῦ ἱεροῦ dicuntur, nihil aliud fuisse videntur, quam qui versu octavo unius litterae menda deformati leguntur εἰκονικοὶ πίνακες, tabellae suspicor eius generis quales Tibullus in templo Isidis memorat (lib. I, 3, 28). Cf. Paus. V, 16, 2. ἀναθεῖναί σφισιν ἔστι γεγραμμένας εἰκόνας et de toto hoc genere *Letronn. Appendice aux lettres d'un Antiquaire* etc. pag. 107. Quae tabulae cum aliis rebus (plura enim ut ἀνάξια τοῦ ἱεροῦ significari videntur) in eiusdem templi exteriore aut in alia quadam porticu collocandae sunt (vs. 9. fortasse: ΣΤΗΣΑ]Ι αὐτοὺς εἰς τὴν στοάν). Plura ex hoc fragmento elicere non ausim, quum quae elicere studui verear ut omnibus probare possim.

Aetatis indicium paullo accuratius, quam quod ex litteratura Ionica petitur, adest nullum. Scripturam οὐθὲν exhibent tituli Piraeenses navales a Böckhio editi I et II, quorum alter Olympiade 101 non potest recentior esse. Quare etiam μηθὲν (vs. 11) eadem aetate vel apud Atticos non inusitatum fuisse probabile est.

Tit. VII.

('Εφ. 'Αρχ. 124.)

Tituli fragmentum litteris admodum parvis marmori inscriptum, prope Erechtheum repertum. Idem iam a. 1837 Rossius misit Böckhio, qui pro sua erga me humanitate apographum Rossianum inspiciendum et cum Pittaciano comparandum mihi concessit.

[Textum vide infra.]

Catalogus est donariorum, sed novum hoc catalogorum sacrorum genus. Quotquot enim hominum ἀναθήματα enumerantur, φιάλην σταθμὸν Η singuli obtulerunt idque fecerunt ἀποφυγόντες vel ἀποφυγοῦσαι τὸν δεῖνα; quorum neminem civem Atheniensem fuisse hinc apparet quod singulorum non pagus sed domicilium notatur. Nihil igitur verisimilius est quam servorum servarumque recensionem esse, qui libertatem nacti deo deaeve libertatis suae vindici dona votiva obtulerunt. Eodem ducit nominum ratio. Quod autem ἀποφυγόντες donaria illa vovere dicuntur, servos non manumissos esse e dominorum potestate sed aufugisse atque fugitivos in ἀσύλῳ aliquo templo impunitatem atque libertatem ea lege nactos esse suspicamur, ut donarium certi pretii divino numini offerrent. Ad quem deum haec omnia pertineant non patet; nihil promptius quidem quam de Theseo cogitare, quod erat φύξιον οἰκέταις (Plut. Th. XXXV), sed obstare videtur quod lapis in arce repertus est. Homines illi omnes in pagis aut ipsius urbis aut suburbanis habitant; apud nonnullos vitae genus adscriptum est (κάπηλος, καπηλίς, γεωργός); servi denique olim iidem fuerunt aut singulorum, aut binorum (vs. 15. 18.), aut collegiorum (κοινὸν ἐρανιστῶν vs. 24), aut singulorum et collegiorum (vs. 10). Litteratura est quali Alexandri temporibus utebantur Athenienses; huc enim pertinent praeter litterarum parvitatem O — Θ — Ω elementa ceteris breviora; neque alienum est ab hac aetate quod



bis terve EI pro ῃ. Ceterum lapidem festinanter atque negligenter inscriptum esse probant vitia quae in eo multa sunt, ubi propter pronuntiandi rationem observandum est in aoristo verbi ἀποφεύγω bis pro Υ scriptum esse I. Varietas Rossiana haec notanda est: vs. 5. ΣΩΣΙΑΣ. vs. 6. ΕΙΟΙΚΩΝ. vs. 11. ΗΡΛΕ. v. 22. ΝΙΚΟΔΗΜΟΣ. vs. 25. ΜΑΝΗΣ.

ὁ δεῖνα ἀποφυ]γ[ὼν τὸν δεῖνα —]ον φιάλ[η σταθμὸν Η.

ὁ δεῖνα ἐν Κολλυ[τῷ οἰκῶν, ἀποφυγὼν] Ἐτεοκλέ[α — φιάλη σταθμ]ὸν Η.

[Σω]σίας [κάπηλος Ἀλωπεκῆ?]σι οἰκῶν, ἀποφ[υγὼν] — — ιον, Τιμαρχίδην Ε]ὐωνυμέα φιάλη] σταθμὸν Η.

Περσ[ηίς? — —ν οἰκοῦσα, ἀπο[φ]υ[γ]οῦ[σα τὸν δεῖνα] Ῥαμνούσιον καὶ κοινὸ[ν ἐρανιστῶν φ]ιάλη σταθμὸν Η.

Ἡρα[κλ? — ἐμ] Πειρᾷ οἰκῶν, ἀποφυγὼν Μ—— [ἐμ] Πειρᾷ οἰκοῦν[τ]α φιάλη σταθ]μὸν Η.

Σωτηρὶς Ἀλω[π]εκῆσι οἰκοῦσα [καπηλί]ς, ἀποφυ[γ]οῦσα Σώστρατον Ἕρ[μει]ον, Τιμαρχίδην Εὐωνυμέα φιάλη [στ]αθμὸν Η.

Εὐτυχὶς καπηλίς, ἀποφυγοῦσα Σώστρατον, Μνησίστρατον Ἀλωπεκῆθεν φιάλη σταθμὸν Η.

Πλίννα ἐμ Πειρᾷ οἰκοῦσα, ἀποφυγοῦσα Ἀστύνομον ἐξ Οἴου φιάλη σταθμὸν Η.

Συνέτη ἐν Κειριαδῶν οἰκοῦσ[α], ἀποφ[υ]γοῦσα Νικό[δ]ημον Λευκονοέα καὶ κοινὸν ἐρανιστῶν φιάλη σταθμὸν Η.

Μ]άνης Φαληρὲ οἰκῶν γεωργός, [ἀπ]οφυγὼν Νικίαν Ὀλύν[θ]ιον φιάλη σ[ταθ]μὸν Η.

Πυῤῥίας ἐμ Μελ[ί]τῃ ο[ἰκῶν] κάπηλος, ἀποφυγὼν Ἀγαθ—[ἐμ Μελίτ]ῃ οἰκοῦντα φιάλη σ[ταθμὸν Η.

— ος ἐν [Σκαμ]βωνιδ[ῶν οἰκῶν ἀποφυγὼν τὸν δεῖνα φιάλη σταθμὸν Η.

Alterius columnae quae legi possunt nomina adscribere operae pretium non est.

In singulis nihil memorabilius est quam nominum quorundam formae prorsus inauditae ac fere triviales; ἐμ Πειρᾷ ter pro ἐμ Πειραιεῖ, Φαληρὲ pro Φαληροῖ. Vs. 6. secundum sched. Ross. praestabit supplere [ἐμ Μελίτ]ῃ οἰκῶν quam Ἀλωπεκῆσι; deinde probabiliter ἀποφυγὼν Σώστρατον Ἕρμειον. Postremo nota hominum nomina Ἀστύνομος, Πλίννα.


Tit. VIII.

('Εφ. 'Αρχ. 386.)

Lapis Hymettius „εὑρέθη τῇ 21 Νοεμβρ. 1839 εἰς τὸ δυτικὸν τοῦ 'Ερεχθείου" Sic editor Atheniensis. Sed idem eundem edidit in libro suo de Athen. antiq. p. 333, qui liber prodiit a. 1835. Böckhio misit Rossius.

Lapis a sinistra integer est, a dextra fere dimidius periit. Teste editore versus 4, 5, 6 rescripti sunt elementis quae antea fuerunt diligenter erasis. Varietas lectionis haec notanda est: vs. 2. fin. ΑΝΙ Ross. vs. 7. extr. ΒΟ e sched. Ross. recepi; Pittacis in utroque apographo habet ΒΕ. vs. 10. ΓΑΘΙΑΝ Ross.

Fragmentum est psephismatis archonte Achaeo, quem aliunde non novimus, in Menandri ut videtur Pergameni hono-



rem scripti, qui Eumenis regis temporibus vixit; rogator legis Diochares Artemidori filius, quem Pittacis olim Β[ησαιέα] fecerat, deinde Βε[ρενικίδην]; neutrum ferri potest. Quo libentius lectionem Rossianam accepi ΒΟυτάδης supplens. vs. 4. possis etiam τετράδι μετ' εἰκάδας scribere, sicut in C. I. 103, v. 2 scriptum est. Sed illud melius. vs. 7 quomodo explendus sit non certum est; fortasse δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, ἐπειδὴ — collatis decretis Atticis C. I. 112, 113. In fine vs. 9. atque initio sequentis videtur καλοκἀγαθίαν scribendum esse. In ceteris vix quidquam certa coniectura assequeris. Difficillimum vero est duplicem mensis notationem explicare; fortasse versum tertium cum iis, qui infra erasi sunt, delere fugit scalptorem parum accuratum, quem si defenderit alius, gratum mihi faciet.

Ἐπὶ Ἀχαιοῦ ἄρχοντος ἐπὶ τῆ[ς — — — — — — πρυ
τανείας, ᾗ Ἡρακλέων Ἀν[θ? — — — — — ἐγραμμάτευ
εν, Ἀνθεστηριῶνος δευτέρ[ᾳ — — — — — — — Ἐλα
φηβολιῶνος τετράδι μετ' εἰκάδα — — — — [τῆς πρυτανεί
ας· ἐκκλησία ἐμ Πειραιεῖ· τῶ[ν] προ[έδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα
Πτελεάσιος καὶ συμπρόεδροι· [ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ·
Διοχάρης Ἀρτεμιδώρου Βο[υτάδης? εἶπεν — — — ἐπειδὴ
Μένανδρος Περγαμηνὸς
παρὰ τῷ βασιλεῖ Εὐμενεῖ
— αθίαν εὔνους ὑπάρχει
—— νουμένοις τῶν πολ —
— — — τείαν ἡ κατ —
— — φι]λότιμον πα[ρασχὼν?

Tit. IX.

('Εφ. 'Αρχ. 166.)

Lapis Pentelicus prope Ilissum repertus; quando apparuerit non addit editor Atheniensis; eundem alibi editum esse non memini. Sed iam difficillimum est titulos qui post absolutam thesauri Böckhiani partem primam in variis libris atque ephemeridibus Germanicis, Anglicis, Gallicis, Italicis denique sparsi sunt, quum reliquae Graeciae tum Atticos omnes novisse; quare veniam et petimus et damus, si cui acciderit, ut inscriptiones alibi editas nescius repeteret.



'Ενιάλου θυγατρὸς Σπουδίδου
κέραμος στήλη

Titulus integer est; versus sunt duo a dextra ad sinistram currentes; cuius generis tantum tres tituli adhuc innotuerant; vid. Franz. Elem. p. 39. Superior versus spatio coactus ad βουστροφηδὸν scribendi rationem accedit. O sicut in titulis Theraeis Prokeschianis charactere minore exaratum est, quem usum in titulis Atticis ad Macedonicam aetatem referre solebamus. Vid. Anecd. Delph. p. 9. Diphthongum OY in quibusdam vocibus mediis mature admiserunt veteres (vid. C. I. Gr. 9. vs. 6), propter quam non est quod dubitemus de antiquitate tituli huius, quem propter totam lapidis rationem inter vetustissimos titulos referre non dubitaverim.

Nomina et filiae et patris hinc primum innotescunt, alterum Σπουδίδης quocum conferas nomen Σποῦδις a Keilio nuper in titulo C. I. 448 vs. 9. defensum (Anall. epigr. p. 218); alterum puto Ἐνίαλον, quod nomen difficilius est expeditu. Propter terminationem quibuscum conferas habes nomina Ἀγχίαλος, Ἀμφίαλος, Περίαλος (nisi Περίαλλος mavis cum Keilio l. l. p. 231). Nomina muliebria neutrali positione maximam partem deminutiva sunt sicut Ἐλάφιον, Κωνώπιον, Κρουμάτιον, Φιλημάτιον ap. Lobeck. Pathol. Serm. Gr. p. 70; quibus addantur Παρθένιον Ἀριστείδου Λάκαινα [Φ]ανοκλέους Εἰτεαίου γυνή (in cippo rotundo ante Dipylon) atque Ῥόδιον Ῥοδίππου Ἠπειρῶτις (Athenis). Rariora atque memorabiliora sunt nomina feminina eiusdem positionis quae non sunt deminutiva, ut Ὤκιμον, Γυμνάσιον ap. Lobeck. l. l. Adde Σύνετον sive Ξύνετον Ἡρακλεῶτις Ἐφ. Ἀρχ. 532 ac Πρόσοδον Μνησιθέου in lapide Hymettio qui prope Theseum iacet; neque enim probaverim si quis dissecto nomine πρὸς ὁδὸν legi iubeat. Nomen masculinum Πρόσοδος et ipsum apud Papium addas e C. I. 2944, 3025 b. Ad rariora mulierum nomina adnotanda delatus ex schedis meis et diurnis Atticis haec adiungo. Nomen Ῥοδώ, inter Graecos qui nunc sunt usitatissimum, cum illo quod supra posui Ῥόδιον addas ad Keil. Anal. p. 164. e titulo sepulcrali Attico: Εὔτυχος Καίσαρος ἱππιατρὸς — Ῥοδὼ Μενεκράτιδος Μιλησία — ἑαυτῷ καὶ τοῖς τέκνοις. Anaglyphum cui haec inscripta sunt vid. Ἐφ. Ἀρχ. n. 602. Δαμασιστράτη Πολυκλείδου tit. Piraeensis quem edidi Romae (Bullet. 1840 p. 58); cf. Φειδοστράτη Ἀγλαύρου ἱέρεια Ἐφ. Ἀρχ. 175. et Φειδεστράτη Τελεσίου ἐκ Κεραμέων 266. Ἀτθὶς Δημητρίου Μιλη[σ]ία ΑΣΤΟΥΟΥ (Ἀστείου?) Ἐρχιέως γυνή E. A. 648; cf. Ἀττικὴ Θεοφάνου ib. 345. Βιότη Κτησίου Ὀῆθεν γυνή; vid. C. I. 223 ubi Βίοττος Ὀῆθεν. E. A. 296. Ποῦσις (litt. Π Ο in lapide fere evanuerunt) [Π]υθαγγέλο[υ] Κορινθία. E. A. 646. Θυσία Μιλησία 297. Ἡγησίθεμις Ἡρακλείδεω Σινωπέως in lap. Piraeensi. E. A. 526. Θαλέα 633. Αὔδη χρηστὴ 636. ed. Pitt. melius Λύδη coll. C. I. 614. In lapide Theraeo (A. E. 437) quod a dextra ad sinistram scriptum est nomen [Ἀ]νάγκης dubito


num deae sit an mulieris nomen. Haec de nominibus femininis ἐν παρέργῳ.

Versus secundus ex eorum genere est, qui basi statuae vel pilae inscripti indicent basin atque opus impositum aut diversae materiae esse aut eiusdem. Cf. Böckh. C. I. Tom. 1, p. 250. Duplex enim cipporum (στηλῶν) in Attica genus etiamnunc reperitur; quorum vetustior ratio ea est, ut columna quadrata lapidi latiori atque crassiori innitatur eodemque suffulciatur; qui lapis (τὸ σφέλας) superne incisus est, ut impositae columellae pedem excipiat. Eiusmodi lapides circa tumulos Atticae antiquissimos Hymetto monti ab occidente subiectos plurimi iacent perditis columellis, quarum multae, sicut haec quae nostro lapidi immissa erat, possunt fictiles fuisse. In iisdem columellis mortui effigies aut sculpta aut picta aut utroque artificio coniuncto repraesentata spectari solebat. Eiusdem generis est basis illa cum inscriptione Ἔνδοιος ἐποίησεν edd. Ross. (Kunstblatt 1835. n. 31) et Schöll. (Archaeolog. Mittheil. p. 30); Aristionis autem et Lyseae cippi, anaglypho ille et pictura, hic pictura sola insignes (cf. Schöll. l. l. p. 28 sq.) cum basi ex uno lapide exsculpti sive μονόλιθοι sunt, sicut statua illa Naxia, cuius senarium subscriptum in Corpore Inscriptionum (n. 10) invenies. Quodsi recte hunc titulum intellexi, στήλη subiecti, κέραμος praedicati locum habet, quasi scriptum esset: ἡ στήλη ἐστὶ κεράμειος. Quae explicatio si cui nimis dura videtur, hanc fortasse rationem praeferendam putabit, ut κέραμος στήλη per asyndeton interpretetur: Eniali Sp. filiae urna (et) cippus (hic sunt).

Tit. X.

('Εφ. 'Αρχ. 377.)

Fragmentum marmoris Pentelici repertum a. 1840 in arce prope Parthenonem.



ότιμος . . . . τε κατασταθεὶ[ς ἐπὶ τὴν τ
οῦ Εὐρίπου φυλακὴν ὑπὸ Πολεμ[άρχου καὶ αἰτ
ήσαντος ἐκείνου [ἀπ]έδωκε Χα[λκίδα καὶ τὸ
ν Ε]ὔριπον καὶ [αἴτιος] ἐγένετο [τὴν πατρίδα
ἑ]αυτῶν ἐλευθέραν γενέσθαι κ[ατὰ τὴν προα
ί]ρεσιν τῶν βασιλέων 'Αντιγόνο[υ καὶ Δημητ
ρ]ίου καὶ νῦν ἐπιστρατευσάντ[ων ἐπὶ τὸν ἐχθ
ρ]ὸν τὸν 'Αθηναίων Κάσσανδρ[ον
τ]ῆς πόλεως

Latitudo scripturae e versu septimo constitui potest, cuius supplendi ratio non dubia est. Hinc ceterorum versuum supplementa facere studui, quae non omnia pro certis venditari intelligenti vix est quod moneam; signis vero interrogativis et hic et alibi nolui contextum perturbare. — Olymp. CXIX exeunte Demetrius statim post pacem cum Rhodiis compositam Chalcidem appulit, qua urbe, quamquam et situ et muris firmissima erat atque Macedones primariam quandam illic sedem habebant,

dum Cassander Athenienses obsidione claudebat, sine mora videtur potitus esse. Quae res ni fallor titulo nostro explicatur, quem eodem aut sequente anno in illius honorem scriptum esse arbitror, qui urbem illam et Euripum tradendo momentum haud mediocre fecerat, ut et Athenae e summis periculis continuo eximerentur et tota Graecia usque ad Thermopylas incredibili celeritate liberaretur. Idem num fuerit Boeotorum, qui illic in praesidio erant, praefectus definire non ausim. Vid. de his rebus Droysen. Hist. Succ. Al. p. 502. Chalcis inde ab Alexandri in Asiam expeditione, utroque littore moenibus iuncto, Euripum et Canethum quasi partes urbis complectebatur. Strabo p. 447. Leak. Graec. Septentr. II, 259.

Tit. XI.

('Εφ. 'Αρχ. 414.)

Lapis Pentel. III ped. longus a. 1840 ad occid. Parthenonis partem repertus.



[᾿Α]κ[ρ]ογίδης, ῾Ε[β]δομίας Λευκ[ο]λοφίδ[ου] ἀν[ε]θέτην.

Titulus dedicatorius in basi operis alicuius inscriptus, et antiquitate et nominum ratione insignis. Primum nomen emendare nolui, quia non habebam, quod melius esset. In alterum conferas nomen ῾Εβδομίσκος apud Ross. Fasc. II, 87. Patris nomen puto in lapide scriptum esse ΛΕΥΚΟΛΟΦΙΔΟ. In verbo offendit augmenti omissio et litterae N forma hac aetate prorsus singularis, quam ab Atheniensibus bene repraesentatam esse non mihi persuadeo.

Tit. XII.

('Εφ. 'Αρχ. 244.)

Lapis Pentel. a. 1839 exeunte circa Erechtheum repertus.



Ex schedis meis hanc adscribo lectionis varietatem vs. 3. ΙΗΟΠΟΣΑ. vs. 5. ΑΘΗΝΑΙΟΝ. vs. 12. ΕΙΣΙΠΟΙΕΝ. vs. 15. ΜΟΣΠ.. ΣΕΤΑΙ. Diphthongus ΟΥ vel in terminatione comparet vs. 5., quamquam sequente versu προθύμος ὄντας, neque ulla in re scribendi usum diutius fluctuasse certum est, vid. Böckh. Att. Seewesen p. 20. Quae legere potui sunt haec.

ὁπόσα
οἳ ἂν ἑκάστοτε
— αστους Ἀθηναίω[ν] οἳ ἂν
— πρ[ο]θύμους ὄντας ποιεῖν ὅ,τι ἂν [δύνωνται?
— δ]ήμου τοῦ Ἀθηναίων ὅ,τι ἂν δοκῇ ἀγαθ[ὸν —
αἴτ[ι]ος ἐγίγνετο τῇ . . . . ἐν τῷ δήμ[ῳ —
ἐ]πανορθῶσαι τὸγ γραμματέα τῆς βουλῆς —
ὅτι συνδιεπολέμησαν τὸν πόλεμον —
οφαντοι ἐπαινέσαι ἅτε νῦν λέγουσιν —
πρόθυμοί εἰσ[ι] ποιεῖν ὅ,τι δύνανται —
καθά]περ τὸ πρότερον, καλέσαι δὲ καὶ ἐπὶ —
β]ουλῇ, τῇ δὲ Παρθένῳ ἐξαιρε[θῆναι —

Decretum fuit Atheniensium post finitum bellum, in quo bello qui Athenienses adiuverunt socii nescio qui honorari, Minervae autem Virgini spolia quae debentur voveri publice iubentur. Iam quum propter scripturae rationem, quae est prisca Attica, sed Ionica litteratura iamiam increbescente, titulus ab Euclide archonte non multum removendus esse videatur, probabile est, ad bella Atheniensium cum Peloponnesiis gesta finiti belli mentionem pertinere. In singulis pauca restitui possunt neque singulas litteras, unde nihil effici poterat, minusculis omnes adscripsi. Vs. 8. medio TEI . . BIEN quomodo distinguenda sint nescio; illud B quod Pitt. habet non certum est. Finem versus variorum sententiae in concione prolatae afferuntur; etenim vs. 12 et 13 ita fere iungendi erunt: ὁ δεῖνα εἶπεν· τὰ μὲν ἄλλα καθάπερ τὸ πρότερον, καλέσαι δὲ καὶ τοὺς δεῖνας i. e. legatos sociorum ἐπὶ ξένια vel ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον vel tale quid, τῇ δὲ Παρθένῳ ἐξαιρεθῆναι τὴν δεκάτην τῶν λαφύρων.

APPENDICIS LOCO

adiungo titulos quosdam non Atticos, sed et ipsos nuper repertos, qui ad manumissionem Graecam pertinentes, postquam de hoc instituto in Prolegomenis Anecdotorum meorum Delphicorum monumenta lapidea quotquot noveram edidi, sero mihi innotuerunt. Dixi illic (p. 13) de catalogis manumissorum Thessalicis, Larissensibus, Aeginiensibus, Cyretiensibus, Olossonensibus, Lamiensibus, in quibus catalogis omnibus certam quandam summam a manumissis in aerarium datam esse magistratus publice testantur. Accedunt tituli Hypataei quatuor, unde idem illud institutum Thessalicum accuratius illustretur; scriptura est saeculi post Chr. quarti vel quinti; ed. Pittacis Ἐφημ. Ἀρχ. 192—195; priores tres in tribus eiusdem lapidis lateribus inscripti sunt.

n. 192. Τὸ κο[ι]νὸν τῶν Αἰνιάνω[ν] — ον Λικίνιον Λευκίου — Λεύκολλον ταμίαν εὐεργ[έτην —

Haec ad statuam basi olim impositam pertinent; infra duarum triumve linearum spatium; inferius grandioribus elementis haec:

Π]αρὰ Νεικολάου τοῦ Νει[κ]ολάου τοῦ καὶ Λουκίου το[ῦ] ἐπιμελητοῦ τῶν ἀπελε[υ]θερικῶν χρημάτων ἀναγραφὴ τῶν δεδωκότων εἰς τὴν πόλιν τὰ γεινόμενα αὐτοῖς εἰς τὴν στήλην στρατηγοῦντος Ἑλλανοκράτους.

Formulam istam διδόναι τὰ γεινόμενα τῇ πόλει vel εἰς τὴν πόλιν (pro dativo sicut apud Neograecos) habes etiam in titt. Cyretiensibus cf. Anecd. Delph. p. 14.

n. 193. in altero latere sequitur haec ἀναγραφή: Εὐτυχίς, Εὔτυχος, Εὐφροσύνη, Εὐτυ[χία?, Κ]λεοπάτρα, Ἀγάθων, Ἀντίγονος, Εὐθυώδας (Εὐθυμίδας?), Σύμαχος (sic), Εὐφράνωρ, Ἀγάθων, Μενέλαος, [πά]ντες ἀπὸ Νεικοστράτου· Ξενική,

Πρεῖμος [ἀπὸ] Ἐπιγ[όνης· Δάμων ἀπὸ Ἀνδρομένου· Δορυφόρος ἀπὸ Γεμι[νοῦ] καὶ Ἐπάγαθ[ος, Ε]ὔτυχος ἀπὸ Νειχο[λά]ου τοῦ καὶ Λ[ου]κίου· Ξενική, Καλ[α]τύχη? ἀπὸ Σωσάνδρου καὶ Πολυνείκης [ἀπὸ] Κοκκηΐου Λύκου — Ὀνησῶ ἀπὸ Γεμ[ι]νοῦ· Φιλητὸς ἀπὸ —· Ξενική, Σίττος ἀπὸ Ξένωνος καὶ Πυῤῥίου τοῦ Ἀντία καὶ Ἑρμοῦ· Γεωργὸς ἀπὸ — Ἀριστοφύλου· Λύκος ἀπὸ Ῥουφ —· Ξενική, Σωτήριχος ἀπὸ Μνασ[ίου?· Ζώσιμος ὑποδηματάριος ἀπὸ Δαμα —

n. 194. Πόλεως τοῖς Γυμνασιάρχοις Ἀντάνδρῳ Ὀλυμπίχου δηνάρια χεῖλ[ια] πεντακόσια, Κασσίῳ Ἐπαφρᾶ δηνάρια χείλια πεντακόσια εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ γυμνασίου· Ἀγαθόποδι Ἀγαθόποδος κ[α]ὶ Λευκίῳ Τειμοκράτους τοῖς ταμίαις δηνάρια ὀκτακόσια τεσσαράκοντα ἑπτὰ ἥμισυ.

Deinde minoribus litteris: Ζωΐλος Παραμόνου ὁ γεγονὼς ἐπιμελη[τὴς] τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων προςαναφέρω καὶ Ἀλέξανδρον Ἀσκληπιάδου [ἀ]πελεύθερον (Ξενική) δεδωκότα μοι τὰ τῆ[ς] στηλογραφίας ΧΚΒ (denarios XXII sicut Cyretiis et Oloossone)

Nomen Ξενική uncis inclusi, quia illo loco quid sibi velit non intelligo.

n. 195. — ΥΤΟΥΠΛΙ . . ΟΝΟΥ τοῦ ἐπιμελητοῦ τῶν [ἀπελε]υθερικῶν χρημάτων ἀναγραφὴ τῶν δεδω[κότων] τῇ πόλει τὸ τῆς στηλογραφίας ἀργύρι[ον] ΙΕΓΓΡΑΙ Κηΐου Πρόκλου, Σεκοῦνδα ἀπὸ Σω —· Ξενική, Ἐπαφρῶ ἀπὸ Ἀπ[ά]τ[η]ς καὶ Στρατολάου καὶ Σωσιπάτρου· Ξενική, Οἰκονομία, Ἐπίτευξις, Ἀβάσκαντος, Τυχική, Τυχική (sic) ἀπὸ Κλείτου τοῦ Πολυξένου ἀπελευθέρου· Ξενική, Μελιτίνη [ἀπ]ὸ —ρου· ΔΡΑΚΟΝΤΩ καὶ Αὐξίβιος ὁ νεώτερος ἀπὸ Αὐθάδους? τοῦ Φιλίσκου τοῦ Ἀριστονείκου· Ζωι — Ζωσίμου, Ζώσιμος ἀπὸ Συμφερούσης· Τ—[ἀ]πὸ Ξένωνος· Πάρδαλις ἀπὸ Στρατονεί[κου] —Εἰσαγόρου· τὸ Β Εὐρετὸς ἀπὸ Φιλέρω[τος] τοῦ καὶ Λεοντίσκου τοῦ Φιλέρωτος· Ξεν[ική]?, Λύκος ἀπὸ Ἐλευθερίου· Εὔτυχος ἀπὸ Εὐκά[ρ]που· Ζωπύρα ἀπὸ Ἐπαγάθου· Λύκος καὶ Ἀνθέ[ας]? ἀπὸ Ἀσκληπιάδου· Θεογένης, Ἀντίπατρος, Σωσυβία (sic), Μάντα, Μάξιμος, Παράμονος, Νέμεσις, Εὐφρόσυνος, Λέων, Εὐθυμία — —

Hi catalogi Hypataei, quorum quatuor ceteris integriores proposuimus, praeterquam quod nominum propriorum labentibus Graecitatis temporibus usitatorum novas copias praebent, Lamiensium illud διδόναι ἐν τὰν στάλαν (Anecd. Delph. p. 16) explicant; eadem enim pecunia τὸ τῆς στηλογραφίας ἀργύριον dicitur; cuius proprie haec fuisse videtur ratio, ut manumissi manumissionem in lapide inscribendi ac publice proponendi sumptus suppeditare deberent; sed haec nihil nisi forma sive species quaedam tributi fuit, unde efficiebantur τὰ ἀπελευθερικὰ χρήματα, quae suas habebant rationes suumque magistratum τὸν τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων ἐπιμελητήν.

INDEX.

BEROLINI, TYPIS J. F. STARCKII.